

ORATORIÆ PROFESSOR
audiendas

IN ILLUSTRIS AUGUSTEO
DISCEPTATIONES
De

NUPTIIS PARISIENSIBUS
ANNO M D LXXII.
IN CÆDEM ET SANGVINEM
CONVERSIS

Pridie Festum Bartholomæi Styl. Vet.
ANNO M DC LXXII.

(Qui Dies secularem ipsam noctem antecedit)
decenter intimat.

LEUCOPETRÆ,
Literis HILDEBRANDIANIS.



Hic hic ipse, qui nunc volvi-
tur, annus, varias in Orbe Christia-
no mutationes videtur parturire:
nondum tamen eam rerum magni-
tudinem nobis exhibet, quam su-
perioris seculi annus septuagesimus
secundus, non in terrâ saltem, sed in ipso etiam fir-
mamento spectandam admirandamq; proposuit.

Mortuus tunc est Pius V. Pontifex, postquam,
ut *Thuanus lib. 49.* refert, frustra tentasset lactis asi-
nini salubritatem. Quæ quidem res parvi esset mo-
menti, nisi notabili joco lusisset Pasquinus, quem
Pasquillorum Romanorum liber superiori edito se-
culo exhibet.

*Papa Pius quintus moritur, res mira, tot inter
Pontifices tantum quinque fuisse pios.*

Sed & sine hæredibus decessit Sigismundus Au-
gustus Poloniæ Rex, adeoq; familia Jagellonis Lith-
vaniæ Ducis, quæ hæctenus ab anno 1386. summam in
regno tenuerat, quoad masculos expiravit. Inde
quantum turbarum repetitæ hinc inde successio-
nes dederint, quantumq; ab eo tempore extero-
rum consiliis, ad invadendam Remp. susceptis, in-
dultum fuerit, nemo nescit, nisi qui rerum Poloni-
carum penitus est expers.

Notabilis verò Batavorum fuit conatus, ut, cum
hæctenus læsam ab Albano Governatore patientiã
privatim doluissent, hoc ipso anno occupatis urbi-
bus,

bus, collecto milite, susceptâ defensione, Philippum II. admonerent, quàm prudenter Carolus V. dixisset, Belgas libenter servire; sed nomen servitutis tolerare non posse. Quæ res cum à multis Inscriptionum ac Satyrarum textoribus hodie multò aliter accipiatur, ac historica fides postulat, breviter ex *Meterano & Thuano ad hunc annum* sic repeti potest. Profugerant non pauci è nobilibus & oppidanis Belgicis in naves suas, constitutaq; tumultuariâ quâdam classe portus Angliæ, securitatis causâ, infederant, unde Hispanorum navigia redderent infesta; ut etiam communi dictorio, quasi terrâ carentes, vocarentur *anseris maritimi*: Ast Elisabetha Angliæ Regina, & minis, & monitis, & precibus fatigata, consensit tandem, ut exulibus navigantibus Angliæ stationes clauderentur. De nova igitur securitate sibi prospicientes, commodo vento Briellâ compulsi sunt, quod oppidum portu insigni, ad sinistram Mosæ ripam, non procul ab ejus ostio conspicitur. Ibi, cum inopinata se offerret occasio, portis pulvere tormentario fractis, muris scalarum operâ superatis, hostibusq; novitate rei perterritis, in ipsam urbem spe citius irruerunt. Nec in isto saltem loco fortunam passi sunt conquiescere: sed suarum tandem virium admoniti, Urbes occupare, Hispanis arma ostendere, uno verbo, libertatis curam accuratiùs habere cœperunt. Nondum tamen, quod multi credunt, ab ipso Rege Hispaniæ defe-

A 2

cerant:

cerant: sed saltem rejectâ in ministros culpâ injustæ
violentiæ propulsationem prætexebant, redituri ad
officium, si restitutis Patriæ legibus aliquantô tra-
ctarentur placidius. Tandem verò, expirante me-
liorationis fiducia, anno demum 1581. per Unionem
Ulтроjectinam & plenæ ab Hispano defectionis,
& universalis quam tueri vellent, libertatis dedere
documenta. Extat Apologia Wilhelmi Auriaci
conscripta adversus Regis Hispanici proscriptionem
anno 1580. promulgatam, cujus succinctam men-
tionem facit Thuanus *lib. 71.* ita tamen ut partem
omiserit, quæ mihi semper visa est potissima. Sicut
enim Auriacus nihil dissimulat, quod objici posset
Philippo: ita maximè Batavorum nomine id ur-
get, se primos non esse, qui ab iniquis defecissent re-
gibus; sed edoctos fuisse ipsorum Hispanorum ex-
emplo. Anno nimirum 1369. Petrum Castiliæ regem
(qui tamen ad Philippi crudelitatem nondum ac-
cessisset) regno pulsû, & à fratre illegitimo Henrico
(*Savedra Symb. 16. p. 117. forte per erratum typogra-
phicum Hermannum vocat*) capitis supplicio affe-
ctum. Et ab hoc Henrico notho tandem processis-
se Isabellam Henrici IV. sororem, quæ nupta Fer-
dinando Catholico regnorum conjunctionem sta-
bilierit. Deduxi ista prolixius, ne nimium sibi pla-
ceant vaticinatores, qui secularem Batavis vindi-
ctam imminere augurantur.

Jam de cœli quoque miraculo dicendum. Sexto
enim

enim Idus Novembr. sub Cassiopeæ asterismo nova
conspicua est stella, quæ multorum Astronomo-
rum, præcipuè Tychois extraordinariam provo-
cavit industriam: cum, ut Cornelius Gemma Fri-
sius medicus & astronomus ejus ætatis peritissimus
judicabat (*teste Thuano lib. 54. & Lans. Consult. Orat.
contr. Gall. p. 278.*) post Christum natum vix aliud
phænomenum ei comparandū illuxisset, siue sub-
limitas signi, siue raritas & diuturnitas spectaretur.
Et ista quæ idem omnia Oratoriæ Studiosis pulchram
differendi materiam poterant suppeditare: quippe
cum rara eligere themata inter arca Eloquentiæ so-
leat reponi. At interim majori impetu videbam ali-
quos proruerere in stupendam, omniq; seculorum,
(si quæ futura sunt) memoriã detestandam Lanienæ
Parisiensis historiam. Ubi sub specie nuptiarum cū
Rege Navarræ & Margaretha Regis Gallici sorore
contrahendarum, congregatis partium Reforma-
tarum capitibus, tanta edita strages est, ut trucidatis
sine ætatis ordinis ac sexus discrimine homini-
bus, sanguis rivorum instar in Sequanam se effunde-
ret. Cujus rei testis est, non Meteranus aliquis ob re-
ligionē Calvinianam suspectus; non continuator
quidã Sleidani, quem Lutheranismi quædam infimu-
lare; sed ipse Thuanus, Pontificiæ religioni addictus,
& imprimis magnus in officio Regis Gallici mini-
ster. Qui certè *init. lib. 53.* profiteri non dubitet:
Prudentiores Catholicos judicasse, nullum similis servitiæ

exemplum in totâ antiquitate evolutis gentium annalibus
reperiri. Nec fortè à veritate abludit iudicium.
Nam, fateor, ex antiquâ historia resonât voces; Ca-
ligulæ: *Ultimam populus Romanus unam cervicem habe-*
ret. *Sveton. cap. 30.* Neronis: *ἔμῃ ζῶντι γαῖα μὴ θήτω πύρι.*
Sveton. c. 38. Vitellii: *Optimè olet occisus hostis melius ci-*
vis. *Svet. c. 10.* Nec defunt exempla, Mithridatis, qui
omnes Romanos per Asiâ trucidari possit. *Epit. Liv.*
lib. 38. Syllæ, qui omnes contrariæ partis non milites
modò, sed mulieres etiam obtruncari pulchrū pu-
tabat. *Valer. Max. lib. 9. c. 2. num. 1.* Lysandri, qui per-
jurio allectos Thasios, nihil suspicantes, salutisq; pe-
nitus securos immisso milite interfecit. *Bæcler. not.*
ad Cornel. Nepot. Lysandr. ubi defectum ex Polyæni lib. 1.
strateg. supplet. Dionysii Junioris, qui & Syracusanos
& Locrenses insigni concussit crudelitate *Justin. lib.*
21. c. 2. & 3. & multorum aliorum. Attamen min⁹
peccasse videntur isti, quod ethnicis erroribus im-
mersi, & Satanæ quasi servitiis traditi, tantam recti-
tudinis notitiam habere non possent, quantum ex
lumine Christianæ religionis aut perceperant aut
percipere debuissent Galli.

Dum hæc scribo, incidit incomparabile crudeli-
tatis exemplum, cujus in Historia Sinensi mentionē
fecit *Joh. Neuhof, pag. 435. seqq.* quod Corollarii loco
non incommode subnecti potest. Antequam Tar-
tari Sinense Regnum occuparent, ipsi Sinenses inte-
stinis motibus victoriam hosti reddiderant facilio-
rem.

rem. Imprimis verò Prædones aliqui conceptâ Imperii spe non dubitabant provincias sibi subjicere, subditos ad obedientiam adigere, Regis & titulum & diadema arripere.

E quorum numero Changhienchungus (barbarum barbari nomen) universos Sinæ incolas excindere cupiens ab anno 1643. usq; 1646. (ubi tandem Sagittæ ictu occubuit,) horrenda dictu & cogitatu suscipiebat. Simplici enim mortis supplicio nō contentus, ita feriebat victos, ut mori se sentirent: nec nocentes modo, sed eorum agnatos & cives interitu dignos judicabat. Unius delinquentis crimine commotus universam ejus patriam solo æqvavit. Unius militis peccatum, deletâ 2000. militum turmâ, cui noxius annumerabatur, crudeliter vindicavit. Centum quadraginta millia militum, quod frustra tentassent Hanchungi Urbis obsidionem ad unum omnes aut capite aut corio privavit. Octodecim millia studiosorum, quasi eruditio meros faceret Sophistas, mori jussit. In Provinciæ Suchuen metropoli Chingtu sexcenta millia incolarum, & fidē & obedientiam pollicentium, contemptis lacrymarum & planctuum spectaculo, militibus mañtanda objecit. Tandem, ne quid sævitia deesset, militibus imperavit, ut quisq; suas uxores trucidaret: esse enim mulieres belli impedimenta, & in reliqua Sinenſis regni parte, pulchriores fore fœminas. Iste verò exercitus ipsi vocabatur **REPURGATUS.**
Hæc

Hæc & alia multa recenset supra laudatus Autor, additâ asseveratione se multum turpiora silentio involviffe. Sanè nemo est, qui non commoveatur animo, potuisse hominem adeo defævire adversus universum suæ naturæ genus. Sed Ethnici fuerunt: Prædones fuerunt: Sinenses fuerunt, qui neglecto Dei cultu adorarent Diabolum, Galli autē, quo magis ad politio-rem Religionis & Virtutis normam assurrexiffe putantur, eò minus habent, cur suam sævitiam vel cum ethnicorum factis comparare, vel aliquo incrustamento prudentioribus hominum oculis eripere conentur.

Plura non addo: nam exactiora nostris relinquenda erant Oratoribus, quorum is futurus est ordo,

I. Dn. GEORGIUS CHRISTOPHORUS AR-
NOLDI, Burgverbiensis Misnicus

Succinetam universi negotii historiam exponet, quomodo jam à Francisci I. temporibus & creverint & decreverint Reformati: excitatis commilitonibus, ad placidam rei tam singularis disquisitionem

II. Dn. CHRISTIANUS Seidler/Brigâ - Silesius

Quasi ostensurus nihil esse tam absurdum, quod coloribus Rhetoricis non possit commendari, Lanienæ suscipiet excusationem.

III. Dn. JOHANNES ADOLPHUS NICOLAI,
Dresdensis Misnicus

Ex hisdem Principiis evincet contrarium, excussis fundamentis quæ in defendendo hoc negotio haberi solent pro firmissimis.

Exercitium ejusmodi est, ut facile queat allicere Auditores: Sed tamen superfluas addimus preces, velint Utriusque Reipubl. Proceres eidem suam non invidere præsentiam, reciprocas exhibitori gratias, sicubi faventior illuxerit occasio. P.P. d. 22. August. M DC LXXII.